



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

II. De materia & forma Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

826 *Moralis Theologiae Tract. VII. Sacraenta,*
sed neque ipsis adultis: ita tamen efficax est, & præpotens,
ut moraliter ad id necessarium videatur, ut propterea iu-
stificatos omnes illius votum habere aliqua ratione dicen-
dum sit.

C A P V T I I .

De materia & forma Eucharistia.

4. *Venam Eucharistie materia?* Necessaria quidem hu-
ijs Sacramenti materia panis & vinum est. Materia
equidein panis ex tritico conficienda; vnde nec apta legumi-
na, nec granum quod triticum non sit, v.g. hordeum, milium,
panicum. Porro naturali aqua subactus esse debet, & solo igne
decoctus siue azimus, siue fermentatus sit: quamvis azimus
aptior iuxta Ecclesiasticam consuetudinem materia sit. Vi-
num ex vite, cuiuscunque illud sit conditionis, modò ex viis
maturis sit expressum. Certè huic ex Ecclesiae præcepto pa-
rum aquæ naturals miscendum.

5. *An utrinque materia, panis scilicet & vini iungenda sit
in consecratione?* Ita planè, non Sacramenti necessitate, sed di-
uini præcepti obligatione: in quo tamen grauissima de causa
Pontificem posse dispensare probabiliter affirmo.

6. *Vertiturne in sanguinem aqua?* Si Consecrationis tem-
pore fuerit iam in vinum conuersa, vertetur in sanguinem;
si minus, nil prohibet quo minus aqua pura remaneat, vt
communior docet opinio.

7. *Quanam forma panis, & vini?* Verba determinata, ac
certa, quæ à ministris recitando, & significando proferuntur.
Forma corporis est: *Hoc est enim corpus meum*: Sanguinis au-
tem: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui, & eterni testa-
menti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in
remissione peccatorum.* Profectò verba efficacissima, Christi
enim præsentiam efficiunt, ex cuius existentia veritas penderet.
Per illud pronomen *hoc*, in forma Corporis designatur Christi
corpus, pro vt in termino prolationis verborum acciden-
tibus panis præsens est; quemadmodum per pronomen, *in*
forma sanguinis designatur Christi sanguinis prout in fine
verborum accidentibus panis præsens est.

8. *Quanam verba sunt in utraque forma de necessitate?*
In forma corporis, *Hoc est corpus meum*: Coniunctio, enim
haud,

haud de necessitate, sed de præcepto. In forma sanguinis; *Hic est sanguis meus*, vel *Hic Calix sanguinis mei*: cætera de præcepto tantum sunt.

C A P V T III.

De effectibus Eucharistiae.

9. *Formæ utriusque admirabiles effectus recenze.* In primis vi sua tanquam instrumenta Corpus & sanguinem Christi conficiunt, ita ut sub panis specie Christi corpus: sub vini autem speciebus Christi sanguis verè & substantialiter contineatur, panis ac vini nullatenus substantia remanente. Hæc præsentia Christi per veram conuerzionem substantiæ panis in Corpus, & substantiæ vini in sanguinem fit, ita ut non modò sub prædictis speciebus Christi corpus adducatur, & sanguis: verùm etiam ita intimè in substantiam Christi pertingat, vt sufficiens esset terminum producere, si iam productus non esset; quæ conuersio Transsubstantiatio dicitur. Deinde totam Christi substantiam præsentem efficiunt: humanitatem scilicet, quæ corpus, animam, & sanguinem eius amplectitur, & ipsam Verbi Diuinitatem. Præterea totam quantitatem, quam habet in cœlo; quæ tamen non per modum extensum in ordine ad locum, sed per modum tantum extensum in ordine ad totum, & partes in Sacramento reperitur. Ad hæc, ex vi verborum sub panis quidem specie Corpus est Christi, cætera per concomitantiam; sub vini autem specie sanguis tantum est, cætera concomitanter.

10. *Huiusc Sacramenti reliqua edisseras, precor, mysteria.* Ita in ordine ad species Christi præsentia se habet, ut totus Christus sub singulis specierum partibus diuisis sit, sub iisdem totus coniunctis. Profectò moueri Christi Corpori per accidens conuenit. Ab agentibus naturalibus alterari, neque per accidens conuenire affirmo, sicuti neque videri ab oculo corporeo; nec videre, aut audire seu alias actiones externorum sensuum exercere. Cùm desinit in Sacramento esse, aliqua ratione muratur accidentaliter, neque species deserit, nisi quando alia succedit substantia. Christus ipse non videtur in se, cùm in Eucharistia visibiliter appareat, nec eius caro, vel sanguis, sed color & figura tantum exterior, illum